



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XII. Christum verè ad inferos descendisse, oste[n]ditur ex Scripturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

in cap. 5. ad Rom. Cyrillus catech. 4. Cyrillus alter libro de recta fide ad Reginas, in fine locorum ex Matth. Hilarius lib. 10. de Trinitate. Basilius in Psalm. 48. Athanasius in epistola ad Epictetum. Epiphanius heresi 46. Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 3. Hieronymus in cap. 9. Zachar. in tertium Ecclesiastica. Primasius in cap. 5. Apocal. Gregorius lib. 13. moral. cap. 21. Concilium Toleranum IV. cap. 1. Denique AUGUSTINVS, etsi in epistola 99. ambigere videtur, an sinus Abraam, viderant animæ Patrum olim, in inferno esset an alibi: tamen lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 15. affirmat in inferno fuisse, vt ceteri omnes Patres semper docuerunt, quorum verba in sequenti capite referemus.

CAPVT XII.

CHRISTVM ad inferos descendisse verè, ostenditur ex Scripturis.

QVANTVM ad TERTIVM, probo ex Scripturis, Christum verè descendisse ad inferos. PRIMVS locus, qui tamen non conuincit, sed probabilitet suadet, habetur in illis verbis Psalmi 107. *Contriuuit portas areas, & vectes ferreos confregit.* Hunc enim locum intelligunt de descensu ad inferos, HILARIVS in Psalm. 138. Ambrosius libro de mysterio Paschæ, & alij, sed in sensu mystico. Nam ad literam certum est tractari de liberatione ab Ægypto.

SECUNDVS locus est Ecclesiastici 24. vbi sic loquitur sapientia Dei: *Penetrabo omnes inferiores partes terra, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Hic locus non conuincit hæreticos, tum quia ipsi non recipiunt hunc librum, tum etiam quia hæc verba desunt in Græco textu, tamen apud Catholicos suam habent auctoritatem.

TERTIVS locus adducitur ex illo Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terra.* CALVINVS in psychopannychia vult, ventrem ceti fuisse figuram mortis, quæ Christum triduo detinuit. At Christus dicit, ventrem ceti similem fuisse cordi

cordi terræ. Cor terræ, non est mors, sed locus aliquis sub terram.

Alij dicunt, sepulcrum appellari cor terræ; sed repugnat similitudo. Nam cor est in profundissimo loco animalis: sepulcrum autem est prope superficiem terræ; & Christi sepulcrum videtur fuisse supra terram, erat enim monumentum excisum in lapide supra terram extās. Item; *Sicut Ionas fuit vivus in ventre ceti*, ita aliquid vivum debuit esse in corde terræ, at in sepulcro fuit corpus mortuum, non igitur cor terræ est sepulcrū, sed infernus sepulcro multò profundior, vbi Christi anima vivens triduo commorata est. Præterea **HIERONYMVS** in caput 2. Ionæ: *Sicut cor, inquit, in medio est animalis, ita infernus in medio terra esse perhibetur*. Eodem modo hunc locum explicant Irenæus lib. 5. circa finem. Tertullianus lib. de anima, cap. 31. Nyssenus orat. 1. de resurrectione. Ambrosius in cap. 4. ad Ephes.

QUARTVS locus est Act. 2. *Non relinques animam meam in inferno*. **BEZA** vertit, Non relinques cadauer meum in sepulcro. Et in defensione huius versionis contra Sebastianū Castalionem: *Hic, inquit, agi de corpore, & de sepulcro nemo dubitare potest, nisi quis velit meridie cecutire*. Et paulò antè causam reddens, cur ita mutaverit animam in cadauer, & infernum in sepulcrum: *Non temere feci, inquit, cum hunc præcipuè locum à Papistis torqueri ad suum lymbum constituendum videamus, & veteres etiam inde descensum illius animæ Christi ad inferos excogitaverint*.

Videtur **Beza** placuisse decretum Rabbinorum, quod refertur à Rabbi Salomone in capite 21. libri secundi Regum, bonum esse mutare aliquid de lege, ut Deus publicè sanctificetur. At nos habemus in primis verborum proprietatem. Nam in textu Græco Act. 2. *ψυχή* non nisi animam propriè significat, & *ἄδης* infernum propriè designat, & hoc probatione non eget. consulantur omnia dictionaria.

Respondet **BEZA**, licet, *ψυχή*, animam propriè significet, tamen accipi etiam posse pro corpore, tribus modis. **PRIMO**, quia anima accipitur pro vita: vita autem, corporis respectu videtur obruta sepulcro non minus quàm corpus. **SECUNDO**, quia ex anima potest intelligi totum, & idem

est dicere, non derelinques animam meam, & non derelinques me. Rursus ex toto potest intelligi pars, & ita idem erit dicere, non derelinques me, & non derelinques cadauer meum. TERTIO, quia $\psi\chi\theta$, Græcū & $\psi\chi\theta$ Hebraicum idem significat. Porro $\psi\chi\theta$ inuenitur in Scriptura acceptum pro cadauere, Leuit. 21. vers. 1. & 11. vbi legimus, *super anima non contaminetur; prohibet lex tangi cadauera, & ea animas appellat.*

Sed istæ argutiæ nihil valent, nam etiam si posset pro anima intelligi corpus, non tamen propterea continuò probatum esset, hoc loco ita exponendum esse. Præterea hic distinguitur anima à carne, cum dicitur paulò infra, nec anima eius derelicta est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem, sic enim habetur in Græco; ergo non potest hoc loco anima accipi pro carne. Præterea vox $\alpha\delta\eta\varsigma$, (vt supra ostendimus) significat semper infernum, nunquam sepulcrum, & corpus Christi non fuit in inferno, ergo anima ibi fuit. Præterea de anima & inferno exponunt, Ambrosius serm. 74. de martyribus. Hieronymus in Psalm. 15. Augustinus epist. 99. ad Euodium. Beda in 2. cap. Actor. & alij.

Ad PRIMAM rationem Beæ respondeo, licet anima possit accipi pro vita, quia dat vitam corpori, tamen nunquā accipi pro cadauere, cum in cadauere sit priuatio vitæ. Nec possumus dicere vitam esse in sepulcro, cum ibi sit corpus sine vita. nec enim contraria simul poni debent.

Ad SECUNDAM dico, Grammaticam non admittere illā dialecticam ratiocinationem, pars accipitur pro toto, & eorum pro parte, ergo pars pro parte. Nam vocabula sunt ad placitum, & ab vsu loquentium pendent; vsus autem admittit synecdochē, qua ponimus partem pro toto, & contra, sed non admittit partem pro parte. Quis enim ferret, si diceremus hominem pedibus videre, quia pes potest poni pro homine, & homo pro oculo.

Ad TERTIAM dico, multū inter $\psi\chi\theta$ & $\psi\chi\theta$ interesse. Nam $\psi\chi\theta$ est generalissima vox, & significat sine vltro tropo tam animam, quā animal, immò etiam corpus, vt patet ex plurimis Scripturæ locis. Vnde etiam ferè semper adiungitur cum substantiuo nephes, adiectiuum (vitiens) quod

Quod est proprium totius compositi. Genes. 1. *Producant aqua reptile anima viventis.* Ibidem: *Producat terra animam viventem.* Ibidem: *Factus est in animam viventē.* Quibus in locis frustra adderetur adiectivum, vivens, nisi vox Hebræa *נפש*, quam interpres vertit animam, significaret aliquid indifferens ad vivum, & non vivum. Quare Numer. 23. dicit Balaam: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Et Num. 31. dicuntur omnes animæ sexus fœminei ex præda Madian fuisse triginta duo millia.

Porro anima humana, nec mori potest, nec sexum habet. Proinde in illis locis anima nõ alteram partem hominis, sed totum hominē, aut certè ipsum corpus significat. Item Genes. 37. *Non interficiamus animam eius.* Vbi anima nec pro anima propriè dicta, nec pro homine per tropum (nam repugnat pronomen *essus*) sed pro ipsa carne propriè accipitur. Num. 19. cadaver, vocatur morticinium animæ hominis. At Græcum *ψυχη*, vt Latinum, anima, non est tam generale, vt sine tropo possit accipi pro toto animali. Itaque in Levitico nõ ponitur pars pro parte, id est, anima pro corpore, sed vocabulum, quod ipsum corpus significare solet, aut certè ponitur totum pro parte, id est, vivens pro corpore. At Act. 2. ponitur *ψυχη*, quæ animam solam significat.

Præterea etiam nephes, quando opponitur carni, non potest sumi pro carne, vt Levit. 17. *Anima carnis in sanguine est.* Hic autem anima opponitur carni, cum dicitur, neque anima relicta est in inferno, neq; caro vidit corruptionem, ergo hoc loco nullo modo tolerari potest Bezae interpretatio, qui pro anima, cadaver intelligi voluit.

QVINTVS locus est Rom. 10. *Ne dicas in corde tuo; Quis descendet in abyssum, id est, Christum à mortuis revocare?* Ergo Christus post mortem fuit in abyſſo. Non potest autè nomine abyſſi intelligi status damnatorum, nam in illo secundum Calvinum fuit Christus adhuc vivens, hîc autem agitur de loco vbi erat solùm cum esset mortuus. Neq; potest intelligi sepulcrum; nam abyſſus profundissimam voraginem significat, qualis non est sepulcrum.

Præterea facilè erat in sepulcrum descendere, at hîc ponitur tanquam res homini viventi impossibilis, descendere in

re in

re in abyssum. Denique opponitur hoc loco abyssus cælo, tanquam terræ superficies sit media inter abyssum & cælum; nam præcedit: *Quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere.* Et continuò sequitur per antithesim: *Quis descendet in abyssum, id est, Christum à mortuis reuocare.* Fuit igitur Christus post mortem, & ante resurrectionem in abyssu, quæ longissimè abest à cælo, id est, in profundissimis terræ partibus.

SEXTVS locus est ad Ephes. 4. *Qui ascendit, ipse est, & qui descendit in inferiores partes terra.* AD hoc respondet BEZA in annotatione in hunc locum, inferiores partes terræ esse sepulcrum. AUGUSTINUS MARLORATVS intelligit descensum in hanc terram, quasi dictum esset, descendit in hanc imam terram.

AT nos habemus in primis Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, & Theophylactum, qui exponunt de inferno, infra quem nihil est. SECUNDO habemus verborum proprietatem, nam inferior pars terræ non significat totam terram, sed vnâ partem, eamq; aliis inferiorem. non ergo significat terræ superficiem, quæ est pars superior; nec etiam sepulcrum Christi, quod etiam supra terram fuit. TERTIO pro nobis facit id quod sequitur, vt adimpleret omnia; voluit enim Christus descendere vsque ad verum infernum, sicut descenderat in terras, vt præsens visitaret omnes partes regni sui, quod tripartitum est, iuxta illud Philip. 2. *Ut in nomine Iesu omne genua flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Vbi Græcè, vt supra monuimus, est *καταχθονίων*, id est, subterraneorum, qua voce non possunt intelligi cadauera, quæ sunt in sepulcris; illa enim etsi subterranea sunt, tamen non possunt in nomine Iesu genua flectere, hoc est, honorem illi præstare. Sunt ergo in locis subterraneis aliqui spiritus, qui Christo reuerentiam exhibere debent, & ad eum locum Christus descendit, vt se totius mundi Regem ac Dominum declararet.

